

De

potest debet duris laboribus operari. Unde et velum tabernaculi quo intrinsecus vestiebatur valde preciosum erat et delicatum: extrinsecus vero et supremum vile erat et mirabiliter aspezz. Tertium signum per quod probatur quod homo dominum receperit hoc est quod sit propheta: unde et dominus dicit. Sed quid existis videre prophetam. q. d. Vere ipse est propheta. Igitur homo qui dominum per gratiam receperit propheta est quia anime sue predicat ac pronunciat aduentum domini ad iudicium: de quo aduentu paulus dicit. 1. ad Cor. 4. Nolite inquit ante tempus iudicare quod usque veniet dominus qui illuminat ab oriente et a meridie. et tunc laus erit unicuique a deo. In aduentu igitur domini ad iudicium publicantur operationes hominis ac voluntatis que si bone fuerint deo magnifice collaudabitur: si vero male vituperabitur et confundetur. Quartum signum per quod homo experit dominum in corde suo venisse per gratiam hoc est quod scilicet plus sit quam propheta: unde et dominus dicit de iohanne. Sed quid existis in desertis videre prophetam: etiam dico vobis plus quam prophetam. Ille igitur homo plus est quam propheta qui non solum predicat anime sue quod solationem inueniet in futuro seculo: sed qui eam etiam quam pluries recipit in presentia sicut dicit psalmus. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo solationes tue letificant animam meam. Rogate ergo dominum carissimi ut sic nunc eum in corde nostro recipiamus ut ipsum in iudicio cum omni letitia videamus. Ad nobis prestare dignetur etc.

Unica quarta aduentus domini. Sermo. iiii.

Medius vestrum stetit quem vos nescitis: ipse est qui post me venturus est qui ante me factus est cuius non sum dignus ut soluum corrigiam calciamenti Joh. 1. **Q**uis christus dominus inter phariseos et legisperitos esset natus et nutritus: ipsi tamen dominum ihesum cognoscere noluerunt. Precursor ergo domini nostri ihesu christi iohannes baptista ex dispositione spiritus sancti christum dei filium publice predicauit dicens. **M**edius vestrum stetit: super quo Theophilus. **M**edius erat phariseorum dominus sed ignorabant eum quia ipsi scripturas se scire putabant sed dominum inter eos existentem nesciebant quia scripturas non intelligebant. Sed querit quomodo iohannes baptista dixerit. Cuius non sum dignus ut soluum corrigiam etc.: cum tamen deferre calciamenta christus suis discipulis inhiuit ut habet Lu. 10. Et tamen christus dominus fecit quod docuit quia scribit Mat. 1. Cepit ihesus facere et docere. Respondet beatus Gregorius quod per corrigiam calciamenti incarnationis misterium intelligit. Iohannes ergo soluere corrigiam calciamenti non valet quia incarnationis misterium nec ipse inuestigare sufficit ac si patenter dicat. Quid mirum si mihi ille prelatu est quem post me quidem natum considero: sed natiuitatis eius misterium non comprehendo: hec ille. Bene ergo dixit. **M**edius vestrum etc.